



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt X. Oblata à Luthero, & à Cardinali recusata. Discessus, ac  
prouocatio ad Pontificem. Quae ea in re gesserit Cardinalis expenduntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11642**

*Oblata à Luthero, & à Cardinali recusata. Discessus, ac pro-  
uocatio ad Pontificem. Quae ea in re gesserit  
Cardinalis expenduntur.*

- 1 **I**Taque Lutherus à conspectu quidem Cardinalis abstinuit, sed per literas exposuit, retractationem suam infructuosam futuram: cum ex vna parte non valeret ipse rei per hanc veritatem euerrere; & ex altera, conscientiam prohiberetur: neque S. Thomae, & Scholasticorum auctoritatem sibi tanti esse, vt in ea conuiescendum existimaret.
- 2 Obtulit illi, vti semper obtulerat, velle se auctoritati Ecclesiae subiacere: sed ab ea obsequentis speciei bracteolam apertae contumaciae praetendi satis apparebat, ex quo Lutherus à Legato pressus negauerat vel ipsam Ecclesiae auctoritatem, damnatis Clementis & Sixti Constitutionibus; tunc verò detrectabat iudicium Legati à Latere, ab ipso Pontifice Romano ad eam causam cognoscendam constituti.
- 3 Duo praeterea alicuius momenti addebat. Alterum, cum animaduertisset se prolapsus in verba minus reuerenter in Pontificem iacta, quamquam ad ea ab aduersariis lacessitum, tunc errorem e suggestu se reuocaturum, nec in posterum id commissurum: alterum, de articulis Indulgentiarum se habiturum silentium, modo haberent aduersarij.
- 4 At verò circa id apertissime labitur Suauis, narrans hasce literas fuisse à Luthero datas post prouocationem ad Pontificem, & postquam Augustà decesserat: vtrumque enim refellitur à die literis adscripta, & à memorata narratione Lutheri.
- 5 Ea quae literis quas diximus exhibebantur, haud poterant satisfacere Legato. Primò, quia Lutheri errata non solum Indulgentiis aduersabantur, sed grauissimis alijs capitibus, vti narrauimus: Secundò, quia promissum silentium solum effecisset, ne multiplicarentur errores, non verò vt iam asserti corrigerentur; cum semper Lutheri scripta perstarent typis ab eo edita, ac diuulgata; essetque cunctis exploratum, ipsum in sententia persistere. Tertio, quia pro tali silentio pretium ille postulabat, cuius solutio nimis foret indigna Pontificiae Maiestati; nimirum, par frænum ori Catholicae veritatis, & ab Ecclesia traditae iniiciendum. Satiùs igitur habuit Legatus, Lutheri literis nihil respondere; ratus fore vt  
foliis

1518.

follis ille ventosâ elatione distentus, nulloque repercussus ictu, de se tandem humi confideret. Secus tamen ac speratum erat accidit. Nam prius quidem Stupitius timore correptus, siue eorum monitis, qui solent amicitia studium ostentare, pericula atque infortunia praefragiendo, siue interioribus minis conscientia, ob operam minus fideliter Legato nauatam, gnarusque nullâ sibi fide publicâ cautum, vti Luthero; clam se subtraxit, Cardinali Caietano insalutato. Ac paulò post Martinus etiam, suspitione atque intolerantiâ agitatus, improvisò discessit; contestatione prius habitâ per acta publica, quæ post eius digressum in Augustâ foro defixa sunt, destinatisque ad Legatum literis excusatione plenis. In iis, recensitâ facti serie, ostendebat: Fieri non potuisse, vt se Romam conferret ex praescripto diei sibi prius dictæ, quâ corporis inualitudine, quâ inopiâ, & quia Romæ intutum videbatur domicilium ipsi Pontifici, nedum aliis; indicans, opinor, coniurationem ibi contra Leonem recens conflatam. Duobus Iudicibus prius à Pontifice delegatis se diffidere, propterea quòd sacri Palatii Magister ante delegationem contra ipsum scripserat: Auditor verò Apostolicæ Cameræ potuisset quidem pro sua scientia diiudicare de causâ Iuris Ciuilis, non tamen dogmatis Theologici; vnde ab auctoritate Collegæ se trahi siuisset. Cùm autem postea ad interpositas Septemviri preces impetrata fuisset huius causæ cognitio in Germania, ac Legato demandata, voluisse aduersus multorum consilia Augustam pedibus adire, & graui cum incommodo, quò eum redderet de causa certiolem. Fuisse quidem ab eodem humaniter exceptum; sed impetrare nequuisse, vt res ex diuinæ Scripturæ testimoniis expenderetur, atque omnino iussum se retractare, quod sibi pro sua conscientia fas non erat; nosse etiam, gratiorem suo Principi prouocationem, quàm retractationem fore. Proinde cùm ob paupertatem illic diutiùs commorari ei non liceret, statuisse decedere, contestando, vbiicumque foret, se obedientem Pontificis & Ecclesiæ filium, se suaque omnia Leonis pedibus substermentem; prouocare se interim à Legato, tamquam à suspecto Iudice propter Dominicanorum Ordinem, cui nomen dederat; propter Scholasticam disciplinam, quam profitebatur; propter doctrinam S. Thomæ, in qua fuerat eductus: prouocare pariter à Pontifice, tunc causæ suæ malè conscio, ad eundem Pontificem, cùm de ea melius fuerit edoctus.

Hunc extremum actum habuit ea scena, in qua Martinus duplicem & oppositam personam gessit; alteram contumacis & contemptoris,

temptoris, alteram obtemperantis & obsequentis Romani Pontificis auctoritati. Etenim non in literis modo ab eo ad Legatum scriptis, solemniq̄ue prouocatione, sed in aliis plurimis ad Leonem missis, incredibile est quàm prolixis pollicitationibus plenam exhibeat obedientiam mentis ac voluntatis, atque etiam operis ad eius nutum. Porro ex se quisque animaduertit, quàm bellè adeò fallax & subdola agendi ratio congruat homini, qui se Dei nuntium venditabat, missum ad emendandos mortales, lucemq̄ue Religioni affundendam. Verùm subsecutis annis studuit ipse duplici arte huius foeditatem maculæ ab alienis oculis remouere. Alterâ, Christianam demissionem affectando, quâ seipsum damnabat; quippe id temporis nondum satis cælesti lumine afflatus & adhuc Saulus erat, fidemq̄ue tribuebat Romani Pontificis auctoritati. Alterâ, profitendo fuisse vrbانيتatis officium, in ea rerum conditione huiusmodi subiectionem exterius obtendere. Atqui si Saulus id temporis erat, ergo tunc haud cœperat, vt sibi arrogat, Gentium Apostolus esse. Et si tunc fidem tribuebat auctoritati Pontificis, cur eidem simul refragabatur? Vrbانيتas verò postulat ea quidem obseruantia officia, quibus tamen numquam in iis, quæ scripsit, vsus est Lutherus, vel ab ipso Melanchthone suo in eo genere reprehensus; at minimè postulat vt offeratur veræ Fidei abiectio: alioquin fas erit, per vrbانيتatem idola venerari. Quare sacrilegus extitit Lutherus, si veram existimauit eam fidem, à qua obtulit se recessurum, si Pontifici id probaretur, quem legitimum diuini Verbi interpretem non censebat.

7 Equidem fateor, antequam hoc opus aggrederer, harumq̄ue rerum veritatem peruestigassem, ductum me ab opinione vulgari, cui quisque in eo quod sua non interest facile credit: idcirco inducebam in animum, hinc imperitiam, vti ferebatur, Caietani in Ecclesiastica eruditione, postremis deinde annis ab eodem sibi comparata; hinc eiusdem imperiosorem in agendo asperitatem, fuisse medicina defectum ingenio, & venenum animo Lutheri. At postmodum hanc rerum seriem ab ipsius Martini calamo edoctus, haud intelligo, tametsi Cardinalis viuum fuisset totius Ecclesiasticæ eruditionis ararium, quàm potuisset per eam quidquam proficere illi negotio, assumptis sibi disceptantis partibus, per se quidem minùs conducibilibus, & odiosis illi cui succumbendum est; adeoque debilitatâ Iudicis auctoritate, instar quorundam militarium Imperatorum, qui ad digladiandum cum suis militibus per iram se adduci patiuntur. Alioqui tantâ moderatione se gessit erga fratercu-

Pars I.

F

lum

1518.

\* Lutherus  
in literis &  
narrationi-  
bus citatis.

lum hæreticum, & nondum in ea conditione fortunæ positum, vt posset Wittembergâ Augustam equum conducere; ibique emendicato Religiosis Carmelitis hospitio exceptum, victuque nutritum; quod si secus accidisset, maiore ratione fuisset Caietanus incusatus, dignitatis suæ minùs fortiter sustentata. Quin etiam potuit ad eò sibi imperare, vt vbi sensit se tam audacter ac solenniter à Luthero repudiatum, tamquam iudicem suspectæ iustitiæ, eundemque nullâ petitiâ abeundi facultate à se contemptim digressum; non tamen effecerit id quod in simili negotio quicumque iudex pedaneus effecisset, videlicet reum damnare. Sed est in more positum apud homines, adulari fortunæ, & alienam imprudentiam calumniari, in cunctis malis publicis illam ceu fontem absoluen- do, hanc vti fontem damnando.

## CAPVT XI.

*Acta inter Caietanum Cardinalem, & Fredericum Septem-  
uirum. Technæ Lutheri cum Septemuiro adhibita:  
& quæ inde consecuta.*

**D**elusâ Legati spe, quam conceperat sibi conciliandi vel men- tem Lutheri doctrinâ, vel obsequium auctoritate, vel ani- mum comitate, vel submissionem terrore, non idcirco ab ea fiducia se deduxit, quam summi viri in suorum bonorum præstantia collocant; sed illum per se deicere posse putauit ab existimatione Septemuiro, solo impetu suæ præpotentis testificationis. Itaque ad Fredericum dedit literas, quibus ipsum de re summam docebat, rationibus prætermisissis, quarum vim intelligebat ab eo Principe haud percipi non posse; sed certiorum suo testimonio eundem faciebat, Martinum hæresi pollutum esse, suisque obiectis responsa relatu indigna reddidisse: quæ verba spectabant ad ea quæ Lutherus iactauerat de erroribus, in quos Romani Pontifices inciderant in Constitutionibus contra se adductis pro Indulgentiis. Quapropter rogare Saxonem, vt conscientiæ decorique suo consuleret, siue reo Romam dimisso, siue à sua dirone depulso, suâque tutelâ exarmato; eidem se denuntiare, pestilentem eam tabem non posse ita persistere, & causam tunc à se dilapsam, mox Romæ agitan- dam, ac iudicio decidendam.

Sed quemadmodum propinquo igniculo acrius incalescimus; quàm toto sole longinquo; ita maiorem intulere vim Frederico præsentia Stupitij ac Spalatini verba ad prosequendam Lutheri de- fensionem,

Epistolæ  
omnes, alia-  
que scripta,  
quæ hic suc-  
cessiue ci-  
tantur hanc  
rem concer-  
nentia, im-  
pressa sunt  
primo tomo  
Operum  
Lutheri.